














JOANNIS GREVII
ORATIO
INAUGURALIS
PRO
SCHOLIS,
Habita Groningae pridie
Nonas Apriles CIↃ IↃC XCV.



GRONINGÆ,
Apud CORNELIUM BARLINCK-HOF, Civitatis
Groningæ Ordinarium Typographum; Anno 1695.

ILLUSTRIBUS, ET PRAEPOTENTIBUS,

VIRIS,

INCLYTAE REIPUBLICAE GRONINGANAE

CONSULIBUS,

ET

SENATORIBUS,

PATRIBUS PATRIAE,

S. P. D.

JOANNES GREVIUS.



Officii religio, beneficiorumque Vestrorum erga me magnitudo, quibus me, Patres Amplissimi, non ita pridem obstrinxistis, excitant me

perpetuo, atque impellunt ad quascunque gratae voluntatis, quas pro mea facultate dare possum, significationes edendas. Non tantum enim mihi celeberrimas Vestras Scholas regendas commisistis, & tam ampla proposuistis praemia, ut neque honorificentius quicquam, neque liberalius fieri potuerit; verum etiam advenientem recepistis omni genere humanitatis, comitatisque, ac nulla interposita mora extra ordinem me civitate donastis, atque eodem habuistis loco, quo optimarum artium Professores, nec non eos, qui hic divina mysteria pro concione interpretantur, habere soletis, quo nihil ad meam dignitatem amplificandam majus, nihil excellentius potuit con-

tingere: neque unquam apud me tantae benignitatis, ac beneficentiae memoria consenescet. Nolite igitur mirari, Patres Amplissimi, aut mihi succensere, quod orationem hanc meam inauguralem, quae jussu Vestro divulgatur, Vobis inscribere, & tam tenue munusculum Vobis offerre sustinuerim. ardeo enim incredibili cupiditate inusitatum Vestrum & prolixum in me amorem quavis occasione grato praeconio celebrandi. Utinam mihi tam benigna esset ingenii vena, ut dignas Vobis pro tantis Vestris in me meritis gratias referre possem! cognosceretis sane me omnium gratissimum: sed cum hoc non sit opis meae, confugiendum mihi est, quo solent,

quorum egregiam voluntatem destituit facultas. Magis me illud sollicitum haberet, nisi spectata Vestra animi altitudo atque excelsitas a meae sortis hominibus nullam aliam expeteret gratiarum actionem, quam gratam memoremque beneficiorum mentem, ac in sola de iis, qui litteris humanioribus sese dediderunt, bene merendi voluptate acquiesceret. Notum est enim, atque apud omnes pervulgatum, nullos in fovendis ingeniis, & disciplinarum praestantissimarum cultoribus ornandis, ab omni tempore Vobis aut pares fuisse, aut secundos. cujus rei laudes sempiterni annales decantabunt, & vetustatis monumenta loquentur. Quamvis autem haec Ve-

ſtra de mea oratione publicanda voluntas haud obſcure oſtendat, illam, quam benignis accepiſtis auribus, Vobis non omnino diſplicuiſſe, ſi meo tamen animo mihi potius licuiſſet morem gerere, quam Veſtrae auctoritati, a qua diſſentire nobis piaculum eſt, nunquam eam paſſus eſſem prodire, veritus, eam tanti non eſſe, ut eruditorum virorum calculum poſſet ferre, & eorum effugere reprehenſionem. Longe igitur multumque praeſtare, mihi perſuaſiſſem, eam in tenebris deliteſcere, quam in luce verſari, atque prudentium ſubire judicium graviſſimum. Sed cum Vobis ita placuerit, malui meam exiſtimationem periclitari, quam Veſtra detrectare juſſa,
ad

ad Quorum arbitrium & nutum me totum ſic accommodo, ut ea tantum mihi & recta, & aequa, & optima videantur, quae Vos imperatis, ſola obſequendi gloria contentus. Quis enim Veſtra recuſaret imperia, qui nihil praecipitis, niſi quod honeſtum eſt, quod legitimum, & parentibus utiliſſimum, ac ſaluberrimum? qui publicas res privatis Veſtris commodis & rationibus praefertis? denique qui omnem operam, omnem induſtriam, omnem cogitationem in Urbis, civiumque Veſtrorum ſalutem, felicitatemque confertis, ac locatis? Ne dicam de religione, qua nihil praeſtantius a Deo conceſſum eſt humano generi; & de praeclaris artibus, quibus homines ad magnae fortunae cultum formantur; quanta
cura

cura ac diligentia in id continuo incumbitis, ne quid de illarum dignitate ac incolumitate detrahatur! Tuendae ac conſervandae libertati, Vobis a majoribus traditae, ſtupendum in modum ſtudetis. hac Vobis nec pretioſius quicquam eſt, nec jucundius, nec fructuoſius. pro illius itaque cuſtodia nunquam non excubandum, &, ſi neceſſitas flagitet, ferro decernendum, ac vitam ipſam profundendam eſſe cenſetis. quarum rerum jam ſaepius notiſſima dediſtis documenta. Rempublicam Veſtram ſic conſtituiſtis, ac deſcripſiſtis, ut nullius diligentis & attenti patrisfamilias privata domus pulchriori ordine & diſpoſitione poſſit regi, quam illa a Vo-

bis administratur. Hinc est, quod valeant cives Vestri, quod incolumes sint, quod sint florentes, quod numerentur inter eos non pauci viri, cum foris clari, tum domi admirandi. Hinc summum otium, maxima frugum ac fructuum ubertas, omnium rerum, quas natura desiderat, abundantia & copia: hinc artes ingenuae ac liberales, mercaturae, varia opificia in Vestra urbe vigent, ut jure ac merito quis dixerit, ibi & natam esse, & altam rationem ac moderationem vitae. O fortunatos Groninganos, si sua bona norint, quibus circumfluunt & abundant! Sed quo dilabor? Non enim fert animus cum maxime in Vestras immortales ac

illuſtriſſimas laudes excurrere, & in hunc latiſſimum evagari campum, utpote quas non complectuntur breves hae pagellae; verum rejiciam hoc in aliud tempus, quo mihi aptior erit atque amplior de iis diſſerendi locus. Quod reliquum eſt: Vos oro atque obſecro, Patres Ampliſſimi, ut, pro Veſtra humanitate inſigni, eodem vultu, eademque benevolentia orationem meam, nunc typis deſcriptam, excipere dignemini, qua praeſentes illam audiviſtis. Quod ſi feceritis, eamque habueritis pro indicio, ac pignore perpetuae meae, ac conſtantiſſimae in Vos obſervantiae, pietatis, obſequii, ac venerationis, qua Vos proſequor, omnia mihi data

esse existimabo. Deus ter Optimus faxit, uti beatissima Vestra respublica floreat seculis innumerabilibus; uti quotidie magis magisque coalescat, ac corroboretur; uti Vos illam diutissime bene ac feliciter geratis, ac laeti bono publico sitis superstites; utique nos quam maxime possimus prodesse juventuti, quae a Vobis, Vestrisque civibus nostrae fidei creditur; Vos vero beneficia Vestra non male posita esse semper gaudeatis. Etiam atque etiam valete. Groningae a. d. XIII. Kalend. Maj. CIↃ IↃC XCV.



JO-

JOANNIS GREVII

ORATIO

INAUGURALIS

PRO

SCHOLIS.

AMPLISSIMI, GRAVISSIMI, DUUMVIRI SCHOLAE CONSTITUENDAE CAUSSA, CONSULES, AC SENATORES, RELIQUIQUE HUJUS REIPUBLICAE PROCERES POTENTISSIMI, PATRIAE PATRES, RELIGIONIS, VIRTUTIS, DOCTRINAE, CUSTODES: PROFESSORES, QUA QUISQUE LAUDE, ET SCIENTIA, CENSETUR, CLARISSIMI: REVERENDI VERBI DIVINI PRAECONES: DOCTISSIMI OMNIUM DISCIPLINARUM DOCTORES: COLLEGAE HONORANDI: CIVES, INCOLAE, HOSPITES, CUJUSCUNQUE ORDINIS, AETATIS, AC DIGNITATIS, ORNATISSIMI.

PRaeclara, atque excellentium virorum monumentis celebrata fuit Veterum consuetudo ac institutum pristinum, sicut omnium magnarum rerum ita dicendi principia a Numine quodam & precationi-

bus trahere, utpote qui ſibi perſuadebant, nihil rite, nihil caſte, nihil prudenter homines ſine Deorum immortalium auctoritate, auxilio, honore auſpicari. Qui mos eximius nullis natorum hominum aeque ac nobis convenit, aut eſt ad imitandum expoſitus: quippe qui non conflictamur vana ſuperſtitione, & anilibus fabulis, neque in magnis paganorum erroribus verſamur, ac tenebris, ſed denſa nube diſcuſſa ipſius Dei beneficio ex opaca caligine in lucem divinae ſapientiae ac veritatis emerſimus. Illi colebant inanes ſtatuas ac pueriles imagines, quae neque audire eorum preces poterant, neque opem ferre indigentibus. Nos imploramus ſummum, ac verum Dei Numen, quod viget, quod ſentit, quod meminit, cujus nutu cuncta gubernantur: quod ſuccurrere afflictis, quod petentibus veniam dare & poteſt, & non dubie ac benigniſſime daturum promiſit. Quum itaque in hoc theatrum Scholaſticum, tanquam liberalium artium mercatum, ſecunda Ampliſſimorum Patrum ſuffragatione ſim productus, ut cupidae juventuti pretioſas Muſarum merces deferrem, cumque mihi tantae molis, tantae expectationis, ac laboris tam ardui munus ſit mandatum; quid aptius erit, quid praeſtantius, quid ad pietatem magis accommo-

commodatum, quam in hac inaugurationis meae festivitate, levatis in coelum manibus, primo Deum ter Optimum ter Maximum ardentissimis sollicitare precibus, ut honestis ac piis coeptis adspirare non dedignetur? Te igitur Pater Omnipotens, rerum Sator, orbis terrarum Conditor: Te Aeterne Fili, humani generis prostrati, ac misere perditi Assertor, ac Servator: Te Sancte Spiritus, tristis ac conturbatae mentis humanae Consolator, Doctor omnis veritatis ac sapientiae Unice: Te, inquam, Nomen Trinum, & unum unius Dei Numen obnixe veneror, atque obtestor, uti conatum nostrum difficilem plane, ac molestum velis fortunare, uti Athenaeum hoc meo etiam studio, ac industria indies convalescat: uti provincia erudiendi adolescentes, & ad probitatem eruditionemque formandi, mihi commissa, huic Urbi, civibus, eorumque liberis, sit fausta, felix, ac fortunata, utique sub meis auspiciis & ductu crescant nostrae disciplinae alumni in patriae & Ecclesiae bonum, & decus. Illos incende liberalis ac salutaris doctrinae discendae cupiditate. Serva ac tuere rempublicam, ut religio, libertas, optimaeque artes floreant aetatem.

Nunc vero cum apud animum meum reputem, ac diligenter recenseam, quae mihi hodie publica

aucto-

auctoritate persona fuerit imposita, cujusque rei causa locum hunc conscenderim, non alienum ab hac nobilissima concione, & his laetis auspiciis futurum existimo, si dixero nonnulla de Scholarum dignitate, ac praestantia, eaque pro rei magnitudine breviter, ac summatim. Video plurimorum oculos & ora in me conversa, video vos admiratione defixos, avidis expectantes auribus, quid est, quod Scholas, quae vulgo ceu res viles, & tralaticiae habentur, laudare instituam? Non ignoro, Auditores, ita quidem de Museis nostris inconsulte ac temere opinari non de faece plebis homines, & ex pullatis circulis, sed viros etiam haud vulgari excellentes doctrina. falluntur tamen illi vehementer. Quare insitam hanc & fœdam opinionem, quae ad evertendum vitae humanae statum spectat, delere ex omnium animis constitui, &, si per me fieri possit, penitus evellere. Dabo enim operam, pro mediocritate meae quantulaecunque in dicendo facultatis, ut cuncti cognoscant, & necessarias esse civitatibus Scholas, & utiles, & honestas, & prope divinas, neque minus de publica re bene mereri, qui Scholarum fines, quam qui imperii proferunt. De quibus rebus dum paucis disputo, peto a Vobis, Auditores, quaesoque, ut eadem humanitate, eademque

qua

qua caepiſtis attentione, verba mea audiatis.

Ne autem lateat cuiquam, quid Scholarum nomine intelligamus, ſcitote, omnem noſtrum ſermonem futurum de iis locis, in quibus juvenilibus animis virtutis & officii praecepta proponuntur, ac lingua Graeca docetur & Romana. quibus tanquam initiis ac fundamentis firmiſſimis nititur omnis doctrina, omnis ſapientia, & incolumitas totius generis humani. Magnam quidem vim, magnumque momentum aut ad beatam, aut ad miſeram vitam educatio puerorum affert. Haec aut conſervat, bonisque omnibus cumulat civitates, aut funditus evertit. ab hac ſalus interitusve totius reipublicae pendet. Quales enim nunc pueros habemus, tales paucos poſt annos cives ſumus habituri. Ex his alii regunt rempublicam, alii reguntur, qui boni ſunt futuri, & respublica felix, ſi recte vivendi praeceptis, & bonis artibus fuerint a teneris annis imbuti. Si qui tractant reipublicae gubernacula fuerint ſanctiſſimi homines, ſumma pietate & prudentia praediti; qui vero parent probi, modeſti, a factionibus & novis rebus alieni. Quod ſi perperam ac minus liberaliter fuerint alti, & inſtituti, ambitio, avaritia, luxus, libido, aliaeque vitae humanae peſtes eos invadent, diſcentque haec

miseri ante etiam, quam scient esse vitia. pudor, abstinentia, virtus jacebunt, ac negligentur, resque publica miserandum in modum concutietur, prosterneturque. Omne malum nascens nullo negotio opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius. fregeris citius id, quam flexeris, quod in pravam induruit consuetudinem. Si igitur adolescentes optime morati fiant, id primae aetatis custodibus potissimum est imputandum. innata enim naturae vitia, quibus animi pueriles contaminantur facillime, & ad quae illa aetas maxime prona est, sola institutione atque emendatiori cura corriguntur. Ut bene maleve ponuntur initia, sic reliqua sequentur. Sane magni refert apud quos, quo more, cujus arbitratu educati sint liberi. Nam ut unguentorum odores, quibus novae testae perfunduntur, non ad breve tempus durant, sic tenacissimi sumus earum rerum, quas rudibus annis percepimus. Rex fuit, & regum magnorum stirpe ac sanguine editus, Alexander Macedo, non tantum nomine, sed ingenuarum artium pariter ac rei militaris scientia Magnus. Is a Leonide, quo paedagogo fuit usus, vitiis quibusdam est infectus, quae cum semel combibisset, ita penitus in ejus mente insederunt, firmata etiam aetate, ut nullius unquam industria

ullo

ullo modo aut tempore potuerint extirpari, ſed maximum Heroëm ab illa inſtitutione puerili ad rogum uſque fuerint proſequuta. Idem ille Macedonum rex, plus ſe debere Ariſtoteli, rectori juventutis ſuae, ac ſapientiae doctori, quam Patri Philippo, palam profiteri ſolebat. praefatus, ab hoc quidem & vitam ſe accepiſſe, & patrimonium, & regnum: verum ab illo rectis diſciplinis fuiſſe inſtitutum, edoctum optime, & ad omne officii genus inſtructum. quod majus eſt, quam regni potiri. Athenienſes aliquando cupidi civitatem fundandi optimis legibus, oraculum ab Apolline Pythio petiverunt, ſciſcitantes quam viam inirent, ut compotes fierent votorum, & cives ſui evaderent viri boni? Phoebus reſpondit, beatam fore rempublicam, ſi liberorum auribus appenderent rem omnium pretioſiſſimam. Illi inepte & non pro ingeniorum ſuorum acumine & ſagacitate puerorum aures perfoderunt, & ornarunt gemmis auroque, quod his rebus, inducti errore vulgi, nihil pretioſius putarent. quippe Apollinis ſententia erat, inculcanda eſſe auribus puerorum pulcherrima monita ſapientum, & ſcientiae cognitionisque ſtudia, quibus indomitae ac effrenatae cupiditates coërcentur. iis enim nulla res pretioſior eſt, nulla praeſtantior. In beſtiis etiam

vis haec melioris pejorisve educationis cernitur. id quod Lycurgus, qui Lacedaemoniorum rempublicam temperavit, festivo & eleganti exemplo civibus ostendit. Aluit duos catulos, iisdem ortos parentibus. venando erudiit alterum, alterum molliter domi habuit ac delicate. Cum adolevissent, utrumque in spectaculo publice exhibuit, jussitque ollam carnibus repletam apponi, & leporem emitti. derepente venaticus in leporem irruit, in ollam domesticus. Hinc cum eorum, a quibus nobilissimarum civitatum mores sunt constituti, tum gravissimorum virorum, quin & maximorum Imperatorum, ac Regum semper maxima fuit cura, ut liberi recte educarentur, instituerenturque, quod fieri nusquam potest, nisi in ludis litterariis. Sic Pompeji, Caesares, Augusti, Vespasiani, Antonini, Gratiani, & plures alii (tanto nomine Viri, tanta sui temporis reipublicae Lumina!) omnem industriam, & diligentiam ad tuendas Scholas, & conservandas contulerunt. Sic & Carolus Magnus per totum regnum ludos docendi aperuit, Viros elegantia ingenii, & vitae doctrinaeque praestantia in primis claros, quibus institutionem puerorum committeret, anxie exquisivit, eosque arcessivit praemiis amplis propositis, & cum discentium ingenia

pu-

publice exercitarentur, semper fuit praesto. Contra ea Mytilenaei cum viderent tanti ponderis in republica Scholas esse, & litterarum studia, si quos populos armis subegissent, atque in suam redegissent ditionem, eorum liberos a litterarum cultu prohibebant, rati nulla eos graviori poena posse affici, neque facilius contineri in officio, effoeminarique, quam si eos liberalium disciplinarum fructu privarent. Julianus Imperator, qui quod a Christi militia, cui nomen dederat, impie desciverit, Apostata est appellatus, cum nefaria consilia de evertenda Christiana religione & stirpitus eradicanda cepisset, non alio modo se id consequuturum credidit, quam si omnium Christianorum Scholas occludi juberet, neque eorum liberos ad Scholas gentilium admitti pateretur. Nec immerito. Scholis enim sublatis tolletur e vita omnis humanitas, tenebrae, barbaries, & immanitas Schytica omnia profana, omnia sacra occupabit. Orpheum veteres memoriae prodiderunt, rapidos leones, saevasque tigres fidibus leniisse, ac omne duxisse avium genus, neque tantum feras domuisse, & volucres, sed & saxa quoque, & sylvas molli cantu movisse, & fluviorum inhibuisse cursum; non alia ratione, quam quod institutione pereleganti inconditorum ac

rudium mortalium perniciosos errores emendaverit, iis exposuerit, quanta sit in virtute pulchritudo, quanta in vitiis deformitas, tradiderit recte vivendi vias, hominum genus in montibus, ac sylvis dispersum convocaverit in vitae societatem, eosque inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum & vocum communione conjunxerit, copulaveritque. Quis ignorat, antiquissimos Britannorum barbaros fuisse, ac ferocissimos homines? postea vero quam ab iis cujuscunque disciplinae scientiae coeperunt coli, quid hac insula mitius, quid elegantius, quid urbanius? quid urbium amplitudine, splendore aedificiorum magnificentius: cujus populi erga Deum pietas major? Quid est, quod in ulla fortunata regione laudari potest, quod illic desideretur? Quid Majores nostros commemorem? antequam Scholae excitabantur, nondum inducto bonarum artium cultu, quae gens fuit? quae natio? qui mores? quae instituta? fortes quidem erant, & bellicosi, sed inculti, agrestes, immanes. vita omnis in venationibus, atque in cura armorum consistebat. terra ipsa aut sylvis horrida erat, aut paludibus foeda. neque urbes habebant, neque leges, neque certam reipublicae formam. Litterarum autem & sapientiae tractatio nos ab

illa

illa fera agreſtique vita ad hunc humanum cultum civilemque traduxit. Beatiſſima enim haec terrae plaga nunc omnibus copiis, atque omnium rerum abundantia ad facile beateque vivendum circumfluit. Incolarum comitate, affabilitate ſermonis, ac morum elegantia nihil illuſtrius eſt, nihil benignius, ut exteras nationes in ſui admirationem rapiant, ac ſale & lepore ſuo pelliciant in ſui amorem. Virorum varia eruditione excellentium feraciſſimo floret proventu. Benignitas coeli, ſoli laetitia, ſalubritas, amoenitas tanta, ut nihil neque uſu uberius, neque ſpecie ornatius eſſe poſſit. Sive ornatiſſimarum urbium magnitudinem, multitudinemque, ubi omnia mirifice nitent, ubi oculis, quocunque eos vertas, nihil propemodum, niſi politum & elegans occurrit; ſive rei militaris virtutem, ſive ductandorum exercituum, caſtrorumque locandorum peritiam, ſive curam optimarum legum ac judiciorum, ſive reipublicae domi forisque gerendae rationem, ſive artium varietatem conſideres, his omnibus, & innumeris aliis dotibus, quibus reſpublica cenſetur, noſtri reliquis gentibus aut pares ſunt, aut ſuperiores. Quin haec ipſa Urbs, foederatae Belgicae ocellus, quod vigeat, quod fortunata, quod ampla, quod ingenio & opere munita ſit; quod

ſitu

situ & descriptione aedificiorum, & pulchritudine in primis prae aliis emineat; quod abundet rebus omnibus ad vitae jucunditatem, facilitatemque necessariis; quod referta sit incolis, & indigenis, quos non magis natalium splendor, & plena imaginum antiquarum atria, quam morum decor & lautitia exornat; quod ei praesint, & jam pridem praefuerint Viri aut admiranda animi magnitudine, aut insigni doctrina & sapientia, aut utraque re ornati, ac sempiterna laude dignissimi, qui illam tanta constantia, tanta moderatione, tantaque prudentia regunt, ut mentes cunctorum perstringant, ac stupore defigant; quod propterea nobilissima obsidione, qua eam ante tres & viginti admodum annos acerrimi & potentissimi hostes maximis & invictis exercitibus constrictam tenebant, tam feliciter fuerit liberata, cum jam tres populi, juncti foedere, a nobis vi hostili essent avulsi, nec tantum omnis vicinia tremeret, & patria nostra a nemine non conclamata haberetur, verum etiam atrocissima illa tempestate tota concuteretur Europa: Id omne litterarum disciplinae acceptum est referendum. Sed nimium multa fortasse de re minime dubia loquor. Haec enim nota sunt & testata, atque in omnium incurrunt oculos.

Ut autem elegantiae, ac vitae cultioris magiſtra eſt Schola noſtra, ſic & omnium artium ac ſapientiae parens, altrix, conſervatrix. Quicquid litterarum in omni orbis tractu hinc inde aut viget, aut ſuccreſcit, Scholae debetur. Non enim anguſtis terminis circumſcribitur uſus ejus ac utilitas, ſed ea tam late patet, quam lati ſunt fines rerum humanarum, & ad omne vitae genus ſeſe extendit. Proponamus nobis omnes aetatis humanae partes ac gradus, omnes publicorum temporum diſtinctiones ac diſſimilitudines, omnes conditiones rationesque vivendi, atque ea, quae oculis non poſſumus, animo ac cogitatione contemplemur; videbimus Scholas ad ea omnia, tanquam uberrimos fontes, rivulos ſuos ſalutares mittere, eaque & adjuvare plurimum, & incredibiliter illuſtrare. Nihil nunc dicam de humilibus artibus, quarum omne opus eſt in faciendo & agendo, de agricultura, de navigatione, & ceteris pluribus. Nihil de iis, quae ad liberales proxime accedunt, de pictura, ſtatuaria, architectura, de artibus fingendi ſcalpendique, in quibus non tantum utilitas quaeritur mirabilis, ſed & animi haud mediocris oblectatio. quantum illarum cultores inter reliquos ſemper excelluerunt, quando in noſtra officina, limati prius fuerant

rant ac politi! Conſtans enim inter omnes auctores opinio eſt, cunctas artes tam arcta quaſi cognatione, & indiſſolubili vinculo cum Muſis copulari ac conjungi, ut iis viventibus ac florentibus, floruerint ac enituerint artes, oppreſſis vero & extinctis litteris, penitus jacuerint demerſae ac proſtratae, nec ante potuerint recreari ac ſe erigere, quam eaedem litterae reviviſcerent, ac rurſus extollerent caput. Mitto, quod parit Schola, & tanquam foetus multiplices edit frugi & attentos patresfamilias, obſequentes cives & patriae amantes, probos & ſingulari integritate mercatores, claros atque excellentes hiſtoricos, ſine quibus nulli non pueri ſunt, divinos ac ingenioſos Poëtas, quorum ſuaviſſimis cantibus coelum ac terra perſonat, diſertos ac eloquentes oratores, qui ore rotundo, ac celeri canoraque lingua, ceu habenis quibuſdam, audientium animos pro arbitrio flectunt, atque contorquent. Magna haec, & utilia, quis ibit inficias? Sed ad majora properat oratio. Ex Schola enim, tanquam ex equo Trojano, prodeunt fortes ac conſtantiſſimi Imperatores, qui dies noctesque excubant pro aris & focis contra inſultus hoſtiles; qui invicta manu ac conſilii magnitudine graviſſimas injurias a patria propulſant. Prodeunt

deunt

deunt periti ac diligentes Medici, qui avertunt peſtilentiam, morbosque ingraveſcentes exquiſita ratione provident; qui omnes ſuas curas, omnes cogitationes conferunt in ſalutem ac vitam noſtram. Prodeunt virtutis magiſtri, acutiſſimi Philoſophi, qui in magna rerum obſcuritate, ac in arte retruſa ſubtilique verſantur; qui coeli immenſa ſpatia; ac ſolis ſiderumque ſitus, magnitudines, intervalla dimetiuntur; qui mundi originem, abditas naturae cauſas, & rerum rimantur initia; qui omnia divina atque humana explorant; qui radicem vitiorum omnium extrahunt ſtirpitus; qui diſciplinam officii excolendi, reique publicae componendae viam tenent ac perſequuntur. Prodeunt ſanctiſſimi Legumlatores, qui ſcribunt leges, quibus recta & honeſta jubentur, vetantur prava & turpia: Leges, quibus ſupplicio afficiuntur improbi, & boni defenduntur: Leges, ſine quibus nec ſocietas ulla, nec civitas, nec populus, nec univerſum genus humanum conſiſtere, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt. Prodeunt honeſtiſſimi ac praeſtantiſſimi Senatores, qui conſilio & prudentia rempublicam regunt, propugnant, tutantur. Prodeunt integerrimi Judices, qui ſumma religione, & pari ſeveritate, & aequabiliter, & laborioſiſſime Jura

litigantibus reddunt. Prodeunt solertes Legum Jurisque consulti, boni & aequi sacerdotes, qui civium inter se lites ac dissidia sedate componunt; qui pro insontibus causas orant; quibus exploratum est, quid suum sit, quidve alienum, quantumve tribui cuique oporteat; quorum domus est totius civitatis oraculum, quod irreprehensa dat populo responsa petenti. Prodeunt prudentes rerumpublicarum Moderatores, quibus, sicut gubernatoribus cursus secundus, fortunata civium vita est proposita, ut opibus firma sit ac munita, copiis locuples ac abundans, gloria ampla ac illustris, virtute honesta ac honorata. Prodeunt denique casti ac probatae pietatis ecclesiae Doctores, caeremoniarum ac Sacrorum Antistites, qui arcanam Dei immortalis voluntatem interpretantur, & veram ejus colendi edocent rationem; qui improbos a pravitate vitae revocant ad virtutem & scelerum expiationem; qui beatae vitae inexhaustos thesauros pandunt recluduntque, & tanquam in statione positi, pro salute populi Christiani noctu ac interdiu vigilant adversus occultas malorum insidias. Sed dies, & vox, & vires me deficerent, si omnes, qui ex hac virtutis & doctrinae officina meliores prodeunt vellem enumerare.

Cum

Cum igitur certiſſimum ſit, ex immortalibus Graeciae Latiique monumentis, quaſi ex ſanctis & vulgo ignotis fontibus, omnia ſtudia omnemque humanitatem in vitam hominum profluere, dubium nullum eſt, quin ſponte nunc omnes intelligatis, has artes, exercitationesque virtutum, quas longa ſerie recenſui, tanta ac tam divina munera! has artes, inquam, ſine Graecanicarum Latinarumque litterarum cognitione, atque adeo ſine Scholarum uſu, in quibus harum artium fundamenta jaciuntur, nec recte, nec feliciter poſſe inſtitui, aut conſervari, haud ſecus, ac ſi quis ſine navigio mare vaſtiſſimum vellet tranſire. Id qui negant, aut, quid verum ſit, non vident, aut contendendi tanto ſtudio tenentur, ut etiam ea, quae veriſſima ſunt, impugnare non vereantur, habeanturque indigni, quibus exquiſitis argumentis reſpondeamus. Quamvis enim intelligendi ſapiendique facultas a natura nobis ſit indita; vires tamen ſuas illa exercere non poteſt, niſi animus praeclararum rerum ſtudio excolatur: velut aurum & argentum, quamdiu in venis ſuis eſt reconditum, & luto adhaereſcit, nullum habet uſum, niſi e fodinis eruatur manu & induſtria hominum, & faecibus purgetur. At quis ab omni memoria tanta ubertate ingenii, tantaque dicendi

copia fuerit praeditus, qui commoda, & utilitatem, quam ex ludis percipit orbis universus, aptis verbis exponere possit, & ornando amplificare?

Licet autem non minor dignitas in Scholarum cura, quam utilitas vertatur, vulgus tamen, & rerum eximiarum imperiti, nescio qui terrae filii, qui splendore ducuntur, & specie ista, quae oculos ferit, inique ac corrupte de iis judicant, existimantque non tam veritatis amore, quam odio in litteras ac malitia impulsi, rem tenuem esse & abjectam, in ludis litterariis tempus & aetatem consumere, plane ut Musis, earumque patronis bellum indixisse videantur, nisi eos forsan hebetiores natura finxerit stolidioresque quam ut perspicere possint hujus rei praestantiam ac claritatem. Aliter senserunt viri illustres incredibili sapientia, & auctoritate graves. Hi docendi munera inter maxima & honestissima totius reipublicae semper habuerunt, eosque, qui illis fungebantur, in summum locum, atque celsissimam dignitatis, honoris, ac gloriae sedem collocarunt; causati non parvis contemnendisque rebus occupari, sed eos neque ampliorem operam, neque salubriorem patriae navare posse putabant. quippe qui non unius tantum, aut paucorum hominum,

sed

ſed omnium, ſed publicae conſulebant utilitati ac ſaluti. Poſſem hoc infinitis oſtendere exemplis, niſi & temporis ratio, & veſtra patientia me brevem eſſe hortarentur. Sententia igitur in primis M. Tullii, doctiſſimi Romanorum, erit nobis inſtar plurium. Qui cum omne tempus ſuum amicorum temporibus transmiſiſſet: cum a privatorum cervicibus pericula ſaepius avertiſſet non ſine ſui capitis atque vitae diſcrimine: Cum tot jacentes & afflictos cives erexiſſet ſuis factis atque conſiliis, perditosque recreaſſet: cum homo novus per omnes honorum gradus aſcendiſſet ad ſummum faſtigium dignitatis, conſulatum urbis Romae, in tanta nobiliſſimorum hominum multitudine, omnesque geſſiſſet magiſtratus immortali cum gloria: cum clariſſimum illud orbis terrae imperium, domicilium virtutis, ſedem omnium gentium eripuiſſet ex ore ac faucibus conjuratorum, qui peſtem ei nefarie moliebantur, iisque, qui civium interitum adornabant ac perniciem, impia & ſcelerata arma excuſſiſſet e manibus: cum Proconſul provinciam foenore exinanitam ſublevaſſet, ac integritate ſua, continentia, moderatione priſtinum ei reddidiſſet ſtatum ac formam, hoſtibus, qui eam infeſtabant, fuſis fugatisque: denique cum ſe, fortunasque ſuas, cum vitam omnem, & ſpiritum quoque, & animam pro reipublicae ſalute ac

inco-

incolumitate devovisset, ut Senatu consentiente cum populo Romano a Quinto Catulo PARENS PATRIAE fuerit consalutatus: Is tamen talis ac tantus Vir liquido & audacter affirmat: *Neminem posse munus reipublicae afferre majus, meliusve, quam si doceat, atque erudiat juventutem, his praesertim moribus, atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refraenanda sit, atque coërcenda.* Quid agis M. Tulli? rectene intellexisti verba, quae effundis? inconsideratene loqueris? Quid? adolescentes docere praestat, quam reos innoxios squalore sordibusque, patriam incendiis & direptionibus, interitu & exitio rempublicam, caedibus & internecione cives, vastitate & ruinis provinciam liberare? Audesne erudiendi munus Quaesturae, Aedilitati, Praeturae, Consulatui (tantis dignitatibus!) praeferre? Non audet tantum haec palam ac magna voce pronunciare, Auditores, sed quod majori admiratione dignum est, ausus est & verba rebus confirmare, ausus est jam senex, jam praefulgens omni honore ac majestate, ipsemet familiaribus Scholam aperire: persuasum enim habebat vir divinus, & in posteritatis exemplum natus, rempublicam nullam esse, si desiderarentur Viri, liberali doctrina perpoliti, apud quos juvenes moribus, disciplinisque ingenuis tingerentur. En igitur honestatis dignitatisque maximae acroama verissimum

mum

mum ac conſpicuum, quod calumniantibus, ac Scholarum oſoribus os poſſit obſtruere. Eadem fuit ſententia Socratis, principis Philoſophorum, qui ab ipſo Apolline dictus eſt omnium ſapientiſſimus. hic interrogantibus, cur nullis rationibus, nullis praemiis poſſet incitari ad rempublicam capeſſendam, quum ejus gerendae prae ceteris eſſet peritiſſimus? reſpondiſſe fertur: Multo majorem utilitatem eum adferre civitati, qui plures redderet idoneos ad tractandam rempublicam, quam qui illam ſumma prudentia tractaret. Sed videor mihi audire reponentium ſuſurrationes, non de puerili inſtitutione ac trivialis ſcientiae magiſtris loqui Ciceronem, Socratemque, verum de altiorum ac praeclararum rerum doctoribus. Non inficior. Eos tamen noſtri quoque ordinis & loci homines, noſtrasque curas, tanquam omnium ſtudiorum fundamenta, & hac ſententia complecti, dubitandum non eſt: nam in Scholis noſtris prima pueritiae rudimenta ſunt deponenda, ac jacienda quarumlibet ſcientiarum fundamenta neceſſaria. qui vero illis neglectis majori alicui diſciplinae ſe dediderunt, nunquam ad bonam frugem pervenient, neque eximiarum rerum atque artium cognitionem aſſequentur; ſed oleum & operam perinde erunt perdituri, ac ſi cum effoeta muliere in

ſpem prolis conſueſcerent. Fluctuant enim humana omnia, quae non ſunt in ſedibus illis, & quaſi fundamentis, conſtituta. Hinc in bene ordinatis & florentiſſimis rebuspublicis ipſi Viri ſummi, qui magiſtratus ſummos geſſerant, ac principem in civitate locum tenebant, praecipiendi munus ſuſtinuerunt. Minos Cretenſium, Lycurgus Lacedaemoniorum, Hipparchus Athenienſium praefuit & publicae rei, & Scholaſticae. Romae pueri praetexta depoſita deducebantur a parentibus vel neceſſariis ad Viros, qui dignitate & laudatarum artium doctrina prae ceteris eminebant, ut ab illis optime formarentur, revocarenturque a luxuria atque libidine, ab otii atque intemperantiae vitiis, nec non aſſiduis cohortationibus incitarentur ad humanitatis ſtudium, & ad laborem in negotiis, cum publicis, tum privatis, fortiter ferendum: circa hos perpetuo verſabantur adoleſcentuli, hos ſectabantur, hos proſequebantur ubique. In republica Laconica itidem praeficiebantur educationi tam puellarum, quam puerorum, viri magiſtratibus maximis & imperiis perfuncti, qui has docebant pudicitiam, & temperatos, moderatosque mores, illos modeſtiam, reverentiam majorum, & litteras elegantiores: omnibus vero aequi bonique amorem, &, velut genitricem virtutum,
fru-

frugalitatem ingerebant. Hebraeorum liberi liberaliter educatione doctrinaque puerili instituebantur a Prophetis. Inde toties in sacris litteris Prophetarum discipuli & Scholae aperte laudantur. Helium sacerdotem audivit Samuel. Singuli quoque Apostoli in ludis exercuerunt juventutem, ac in moribus eorum corruptis emendandis elaborarunt. Joannes, qui primus homines salutaribus tinxit aquis, & inde vulgo Baptistae cognomen invenit, docendi genere magnopere inclaruit. Gamalielis Paulus, Pauli Timotheus fuit auditor. Quin & Christus Jesus, Rex regum, ac orbis Sospitator, magistri personam suscepit, habuitque discipulos selectos, quos separatim ac diligentissime erudiit. Sed nescio, me quis aestus de dignitate dicentem longius fortasse, quam par erat, abripuit. Tantus enim honor iis, qui litteras docent, tribuatur necesse est, quantus ipsis litteris tribui solet, utpote quae sine illis nullius sunt usus, pretii nullius, nullius existimationis.

Quis nunc erit homo oris tam ferrei, quis animo tam agresti ac duro, qui ausit & necessitatem, & utilitatem Scholarum, & dignitatem in incertum dubiumque revocare? Scholarum beneficio pueritia & adolescentia egregie educatur, sanctissimisque instruitur disciplinis. Scholarum bene-

neficio aetas ſenilis traducitur quiete, placide, ſplendide. Scholarum beneficio tractantur gubernacula reipublicae. Scholarum beneficio regna adminiſtrantur. Scholarum beneficio verus Deus religione vera, quae maximum humani generis pignus eſt, colitur. Scholarum beneficio viae, & apertae, & ſimplices, & directae, traduntur, per quas veluti albis quadrigis vehimur, & aſcendimus in coelum. Quid multis? Scholarum beneficio totus terrarum orbis regitur atque gubernatur. Bonae mentis palaeſtra ſunt Scholae, fundamentum eccleſiae, ſeminarium reipublicae, pietatis, modeſtiae, humanitatis, & doctrinae quaſi templum, ac ſacrarium. quas qui contemnendas putat, is vincula convellit non modo litterarum humaniorum, verum etiam utilitatis publicae vitaeque communis. Sed contrahenda ſunt vela hujus navis, remis inhibendum eſt, eaque ſubducenda, ne in altum provecta longius portum non inveniat.

Pleniori autem ore laudanda eſt, & in coelum jure ac vere ferenda Ampliſſimi hujus Urbis Senatus prolixa in liberalium artium Doctores voluntas, & incredibilis munificentia in Scholam tuendam, ac ſartam tectam conſervandam. Fidem omnem ſuperat, quantae curae Illis ſit eruditio & omnium rerum ſcientia; quam faveant ingenio-

rum

rum culturae, quanta vigilantia, quanta diligentia, quanta animi magnitudine collapſas dejectasque res litterarias & Scholaſticas reſtituant. Id quod non ita pridem luculentiſſimis argumentis declararunt noſtri Proceres. Nam cum acerba & immatura morte doctiſſimi ac celeberrimi Deceſſoris mei, VESALII MOBACHII, hic locus vacuus eſſet factus, cumque illius deſiderium aequo animo nemo posſet ferre, lugerent Collegae, moererent diſcentes, atque ipſa cathedra ob interitum Praeſidis ſui deſideratiſſimi ſqualeret, ac ingenti quaſi convicio Ampliſſimorum Patrum auxilium imploraret, flagitaretque, ut ſanaretur plaga ſibi impoſita, & gravis haec jactura reſarciretur; tam anxie, tam ſollicite, tantaque providentia ubique circumſpexerunt, ac perquiſiverunt varias urbes, varias regiones, a nobis longe remotas, invenirentne quemdam, qui boni Doctoris numeros poſſet implere, nullis parcentes laboribus, nullis ſumptibus, adeo ut nihil fieri potuerit illuſtrius, nihil accuratius. Neque haec commemoro, Auditores, jactandi gratia, quoniam ipſe potiſſimum fui ad hoc munus electus (abſit invidia dictis. nemo enim profecto & natura & ratione alienior eſt ab omni vanitate, & inani laude, quae mihi gloria videtur miſerrima, quam ego ſum. quin & agnoſco meam

ingenii imbecillitatem, neque mihi unquam ſoleo blandiri, aliis ſemper tribuo plurimum) verum ut meo etiam praeconio teſtatum omnibus facerem Ampliſſimi Senatus effuſum ſtudium & infinitam benignitatem erga cariſſimam hanc Illius Filiam. cujus rei memoriam nulla unquam delebit oblivio, neque ullo tempore de ea hominum gratiſſimus ſermo conticeſcet. Vellem nunc, Auditores, tantam in me eſſe vim & facultatem dicendi, ut immortale hoc Graviſſimorum Patrum erga litteras & totam civitatem beneficium, pro rei dignitate, ornare & in aſtra tollere poſſem. Nihil enim magis ad tutelam felicitatis publicae confert, quam honeſtarum artium ſcientiam & liberales diſciplinas florere quam maxime. Laetemur igitur, ac communi ſtudiorum nomine gaudeamus & ſinguli, & univerſi. Gaudete litterarum & Muſarum amantes, quod ea in dignatione & pretio ſummo haberi cernitis, quae Vobis ſunt in deliciis. Gaudete Muſae (o dulces!) ante omnia Gaudete, quod tales Cuſtodes nactae eſtis, qui non minorem veſtrarum, quam publicae rei curam gerunt. Gaudete Cives, quod liberi veſtri domi, in veſtro ſinu ac contubernio, doctrinae ac ſapientiae tyrocinia ponere poſſunt, & in natali ſolo ſub oculis veſtris adoleſcere, quo nihil parenti-

rentibus jucundius eſt, nihil honeſtius, nihil gratius. Gaudete vos in primis ſtudioſi Juvenes, Gaudete chara Capita, Gaudete, quod haec diſcendi occaſio vobis datur, & tantum tribuitur beneficium. Veſtra enim res agitur. Agnoſcite per Deum immortalem tantum munus, quod vobis offertur, atque illo fruimini. Patriae Parentibus pro ſingulari ergá vos beneficentia ac bonitate gratiam referte maximam, incredibilem, immortalem. Gratiam autem referetis, ſi vobis ipſimet non defueritis, neque vos privaveritis hujus beneficentiae fructu. Si ſumma ope incubueritis in litterarum ſtudia, in iisque imbibendis tempus omne conſumpſeritis. Omnia alia fallacia ſunt, caduca, fragilia, lubrica. eruditio eſt una altiſſimis defixa radicibus, quae non tantum propagatur continuo, ſed & nunquam ulla vi labefactari poteſt, nunquam dimoveri ex ſua ſede & ſtatu, nunquam depelli de loco. Ad hanc adſpirate mirifica vigilantia pleni. ad hanc omnibus viribus contendite, ſi famae vos, ſi gloriae, ſi dignitatis quaedam cura tetigerit. Fugite deſidiam, languorem, inertiam, &, tanquam infeſtiſſimos animorum ſcopulos, declinate. Apta eſt aetas ad varios corporis labores perferendos. Patet trita via. Me ducem, aut potius comitem, habete aſſiduum & diligentem.

Equi-

Equidem quantum opera, vigiliis, auctoritate, consilio efficere potero, nihil praetermittam, quod ad incrementa & processus vestros pertinere arbitrabor. Docebo, admonebo, instabo, urgebo, excitabo, aliquando etiam, si res ita flagitabit, objurgabo, increpabo, castigabo. Neque enim vobis blandiar. Contemnam vos, si vos litteras contempseritis. sin autem amaveritis eas, amabo quoque & vos, & vestra commoda mirum in modum.

Vobis vero, Consules ac Senatores Potentissimi, quibus verbis gratias agam, quod tam ample, tam benigne, tam honeste de me sensistis, ut mihi praecipue hanc provinciam credere ornandam, & ad claram hanc ac honoratam stationem cunctis suffragiis evehere volueritis? Tantum enim in me amorem Vestrum, tantamque benevolentiam, qua me estis complexi cum maxime, silentio praeterire non possum. Quid habeo nunc aliud optare, Patres Amplissimi, quam ut hanc, quam de me concitastis opinionem, sic, ut oportet, tueri queam, utque indies vehementius Vos de me ita statuisse laetemini? Intelligo enim, quantum onus sustineam, quantum mihi omni studio & officio, omni ope & opera sit enitendum, ne Vestrae Vos unquam honorificae sententiae quam de me habuistis, poeni-

poeniteat. Ne Vos autem illius poeniteat, nullum tempus a me dimittetur, neque diurnum, neque nocturnum, quin de ingenuorum juvenum, qui hanc Musarum aedem celebrabunt, commodis atque profectibus, quod cogitandum sit, cogitem, quod faciendum, atque praestandum, id non modo non defugiam, abnuamve, sed appetam etiam atque ultro deposcam. In his enim mihi omnia constituta esse decrevi. Nihil a me, pro Vestra singulari humanitate ac sapientia, exigetis spero, cui humeri lacertique mei ferendo non fuerint pares, in primis si perspectum plane, ac exploratum habueritis, me nullam nec corporis unquam, nec animi contentionem recusaturum, unde aliquam haec Schola utilitatem atque emolumentum poterit percipere. Neque enim dubito, quin omni cultu, & summa, qua Vobis devotus sum, observantia, nec non perpetuo obsequio erga Vos, studio vero ac sedulitate in fingendis & erudiendis Vestris, Vestrorumque civium liberis facile & Vobis, & ceteris omnibus sim satisfacturus, quamvis mihi ipse satisfacere nunquam potuero. Ea mihi utique curarum omnium antiquissima est futura, ne Vestram, qui me delegistis, expectationem prorsus fallam, ac destituam. Haec verba velim existimetis foederis vim esse habitura,

non orationis, meque ea, quae Vobis polliceor ac recipio, constantissime esse observaturum, diligentissimeque facturum.

Vos nunc appello, Praeceptores ornatissimi, Collegae honorandi (ad Vos mea tandem declinat oratio) recipite me eadem voluntate, eodemque amore, quo me ad vos vocavit Amplissimus Senatus. Meam amicitiam, meam benignitatem, meum officium vobis bona fide promitto, & defero. Non me superiorem, sed parem cognoscetis. Colite concordiam, colite pacem, sine qua nec publicae res, nec privatae bene geri possunt: atque huic uni curae estote intenti, ut virtute, probitate, bonis moribus, Graecae Latinaeque Linguae cognitione, & arte bene dicendi, quae divinas humanasque scientias illustrat, juvenes instruantur. Illa enim praecipue in Scholis nostris sunt docenda. Aliae disciplinae graviores, de caussis rerum naturalium, de morali & civili doctrina, de arte disserendi, quae Logica vulgo vocatur, & si quae similes, quae superant captum adolescentium, nostrae fidei creditorum, reservandae sunt Scholis aliis sublimioribus, ubi haec, cum ingenia ad ea intelligenda maturuerint, ratione illa, & via, qua decet, tradantur. Nam si in nostris Scholis hae artes accurate & utiliter possent tractari, ac percipi gu-

stus

ſtus quarumvis partium ſtudii ſapientiae, inutiles forent Academiae, ſupervacanei Profeſſores, in quorum tamen tutelam infinitos ſumptus, & vix magnis Regibus ferendos, liberaliſſime impendunt Summi Magiſtratus. In inſtitutione igitur artium ac ſcientiarum per gradus aſcendere debemus, & progredi ordine recto. Non inchoandum a mediis, non haerendum in primis eſt: ab his ad illa procedere, & inde niti in ſumma oportet. Qui enim per ambages & flexus devios praepoſteris & evitandis itineribus incedit, perinde decipitur, ac ſi quis amnes non ab ipſis fontium primordiis derivare, ſed coactis jam, & concretis aquarum molibus avertere, & exſiccare velit. Aptanda ſunt quoque viribus onera, nec plura occupanda, quam quibus ſufficere poſſumus. Non quantum volumus, ſed quantum capimus, hauriendum. Haec mea eſt ſententia. Scio, alios aliter ſentire. Nam ut palatorum, ita & ſententiarum magna eſt diverſitas. Ne Jovem quidem ipſum (vetus verbum eſt) omnibus placere poſſe, ſive pluat, ſive vultu rideat ſereno. Praeclare ageretur cum rebus humanis, ſi cunctis meliora probarentur. Veruntamen, quicquid e re Scholarum eſſe viſum fuerit Ampliſſimis & Prudentiſſimis Viris, quorum nutu atque auctoritate omnium ſtudia noſtra dis-

ponuntur, id optimum nobis est ducendum. Illorum arbitria nobis pro legibus sunto. Ad hanc itaque doctrinam vobis, Deo propitio, ac volente, viam praeibo. nullus dubito, quin strenue, uti soletis, sitis subsequuturi, ut opinioni & munificentiae Amplissimi Senatus nostra omnium respondeat industria, diligentia, & fructus, ut nostra Schola pristinum suum decus & splendorem, quo floruit dudum, retineat, utque tantum supra ceteras sit caput elatura, quantum lenta solet inter viburna cupressus.

D I X I.



ODE

O D E
In Orationem Cultissimam
PRO SCHOLIS,
HABITAM AB EXIMIO, DOCTISSIMOQUE VIRO,
JOANNE GREVIO,
SWOLLANO,
I. U. D.

Cum Provinciam muneris delati, Praefecturam SCHOLARUM GRONINGANARUM, AB INITIALI ORATIONE,

Praesente lectissima omnis Ordinis corona, applaudentibus cunctis, feliciter esset auspicatus.

AUreo fandi modo quae lepore
Suada nativis decorata gemmis
Traxit attentam modulata culto
Ore coronam,

Prodit in lucem Procerum rogatu,
Ut sequi pubes animosa discat
Rhetorem, docto modo quem tonantem
Ore stupebat.

Quae

Quae tulit plausus, animi benigni
Indices, laxis animata frenis,
Et sitim fecit, simul & levavit
Ubere vena,

Lecta nil perdet decoris venusti,
Lecta nil cultus numerosioris,
Absit his quamvis numeris benignae
Gratia vocis.

Illa dos oris bene copiosi,
Illa dos mentis bene perpolitae,
Viribus mentes studiosa cepit
Non novitate.

Flore conscriptus viridis juventae
IngenI cultus brevis hic libellus
Fertiles spondet locuplete cornu
Messis honores.

Lege qua fecit celebres severa
Ritè progressus, pariterque crevit,
Maximo doctus DUCE, finget ora
Pubis honestae,

Ceream flecti, docilemque ducet
Indolem, qua fert Pietas, Pudorque,
Laeta qua Virtus comitata pulchro
Laudis amore,

Unde

Unde proventus, hilarata multum
Uberes ſperent fora, templa, faſces,
Unde Muſarum celebrentur aedes
Agmine denſo.

JOH: MENSINGA,
Eloquentiae, & Hiſtoriarum Profeſſor.



6

